Klose, Ferd. Theoph. Friedr.
Frankfurt a/d. O.

PROFLVVIORVM SANGVINIS PATHOLOGIA ET THERAPIA GENERALIS,

QVAM

AVCTORITATE ATQVE CONSENSV

INCLYTI MEDICORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI

DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME PROMERITVRVS

A. D. XXVI. AVGVSTI CIↃIↃCCXCVI.

1796

PVBLICE EXPONET

AVCTOR.

FERDINAND. THEOPHIL. FRIDERIC. KLOSE

VRATISLAVIA - SILESIVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO

ATQVE

EXPERIENTISSIMO

IOANNI GODOFREDO MORGENBESSER

PHILOS. ET MEDIC. DOCTOR. ANATOM. ET ART. OBSTETR. PROF. PVBLIC. ORD. REG. COLLEG. MEDIC. ET SANITAT. DECANO CIVITAT. VRATISLAV. PHYSICO, SOCIET. OECONOM. PATR. SILES. SODALI

PRAECEPTORI AC FAVTORI SVO

AETERNVM PIE DEVENERANDO

proprio morborum genere collocatae fuerunt. Etenim notum eſt, ſymptomata cauſſae morbique tam arcte cum morbo coniuncta eſſe, vt ex iis vera morbi natura cognoſci poſſit. Qua ex cauſſa ſingularem exquirunt curam.

§. II.

Haemorrhagia cum deriuetur e graecis vocabulis: αἷμα ſanguis et ῥήγνυμι**) rumpo, vi vocis ſanguinis eruptionem denotat; atque vnumquodque ſanguinis profluuium e quacunque corporis parte praeter naturae inſtitutum prorumpens ſignificat.

§. III.

Priusquam accedamus ad aetiologicam haemorrhagiarum inquiſitionem, momentoſas nonnullas earundem diuiſiones praemittere iuuabit. Ex multis autem corporis humani partibus ſanguis praeternaturaliter quum profluere poteſt, ſecundum harum partium diuerſitatem diuerſae horum morborum ſpecies emergunt. v. c. Haemorrhagia narium, Epiſtaxis; H. pulmonum, Haemoptyſis;

**) I. E. Hebenstreit exegeſ. nom. graecor. quae morb. defin p. 9. Diſtinxerunt veteres haemorrhagiam ſiue impetuoſius ſanguinis profluuium a haemorrhoia placido ſanguinis fluxu. Ibid.

moptyſis; H. ventriculi, Haematemeſis; H. veſicae vrinariae, Haematuria etc. Ratione gradus diuiduntur in haemorrhagias modicas et nimias. Vtraque diuiſio ob prognoſin digna eſt, vt noſcatur. Porro autem diuidi poſſunt in haemorrhagias idiopathicas, ſympathicas, ſymptomaticas, primarias et ſecundarias. — Reſtat nobis adhuc diuiſio longe praeſtantior omnibus modo laudatis, maximique momenti ob vſum quem medico practico praebet, in haemorrhagias nempe actiuas et paſſiuas. Actiua dicitur ea, vbi ſanguinis eruptio pendet a viribus naturae medicatricibus, coniunctaque eſt cum viribus integris imo iuſto actuoſioribus, vnde comitem ſaepe habet febrim actiuam, quae vel eſt inflammatoria, vel tamen ſynocho ſimplici proxima. Quae tamen febris non ſemper eam comitatur; quod cernitur in haemorrhagia narium prophylactica iuuenibus familiari. — Paſſiua magis pendet ab inopia virium; ad alios morbos tamquam ſymptoma accedit, connexaque ſaepe eſt cum febri paſſiua, quae ſecundum naturam ſuam et habitum remittens, aut intermittens, gaſtrica, putrida, neruoſa lenta, hectica, hydropicaque eſſe poteſt. Et haec paſſiua haemorrhagia interdum ſine febri eſt, vel cum valde exigua v. c. poſt relaxationem, virium exhauſtionem, debilitatem.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

DE HAEMORRHAGIARVM CAVSSIS.

§. IV.

Sub caussa proxima intelligitur confluxus omnium caussarum sensu latiori. Significatione strictiori qua morbum ipsum complectitur, commode diuiditur in partem formalem et materialem.

§. V.

Quod ad formalem caussam spectat, in vitio quodam vasorum consistit, cuius veteres quinque iam species docuere:

I. Anastomosin; sub qua extremorum luminum ad vltimos arteriolarum fines immodica dilatatio intelligitur.

II. Diapedesin s. Exsudationem; quae adest, cum fibrae membranas cauitatum contexentes, distractae, a mutuo contactu ita recedunt, vt, absque continui solutione, secundum decursum vasis, pori dilatati textilis ad instar sanguinem transsudare sinant, qui retineri debuerat.

III. Diaerefin; hanc adeffe dicimus, fi fanguinis impetus, praefente infuper rigiditate, vas ipfum dilacerat.

IV. Diabrofin; vbi vafa ab acribus internis eroduntur.

V. Rhexin; fi caua vaforum extenfa, a vi mechanica externa fecante, pungente, contundente, lacerante, rumpuntur.

§. VI.

Vt diuerfimode partes continentes; ita etiam partes contentae, efficientesque cauffam haemorrhagiarum materialem, vitiantur. Cauffarum iam materialium, primum occupat locum:

I. Congeftio fanguinis; quae vel fanguinis effufionem praecedit, vel ei praefens eft, vel eam denique fequitur. Nonnullae congeftiones a natura in efformatione corporis rationes fuas habent; apud infantes enim verfus caput tendunt, ad pectus in iuuenibus, apud aetate provectiores aluum verfus.

II. Accumulatio fanguinis denfi, qualem vafa transferre nequeunt, ideo ftagnans vltra modum vafa dilatans, debilitans, vel acrimonia aut aliunde allata aut ftagnatione acquifita, continentes partes erodens, iisque diabrofin inferens.

III. Cohaerentia ſanguinis deficiens: vbi ſanguis ratione tenuitatis canales transfluere poteſt, quod in morbis cachecticis obſeruari ſolet.

§. VII.

De cauſſis remotis nunc verba facienda ſunt: harum aliae proegumenae, procatarcticae aliae dicuntur.

§. VIII.

Ad cauſſas praediſponentes referimus:

I. Nimis infirmam elementorum partium ſolidarum vel haereditariam, vel acquiſitam cohaeſionem, ſiue ſit totius vaſorum ſyſtematis, ſiue partium ſingularium. Sic inueniuntur familiae, quae ob pulmonum debilitatem haemoptyſi obnoxiae ſint. Acquiſita v. g. producitur nimis cita auxeſi, qua ſolidae corporis animalis partes magis extenduntur quam reficiuntur; hinc fit, vt ſolida relaxata, violento ſanguinis impetui ſatis reſiſtere nequeant. Laxa et molli fibrarum ſtructura, nimia ſi inſuper irritabilitas ac abundantia virium motricium accedit, magis corpus ad haemorrhagias inclinatur; quod in iuuenum habitu animadvertimus corporis delicatiori; vbi plerumque exceſſus irritabilitatis locum habet

habet. Iam vero magnae vires, firmas exquirunt fibras, ſin alias inter vires aequilibrium exiſtere debeat. Hac ex cauſſa iuuenilis aetas ſexusque ſequior ad haemorrhagias procliuis.

II. Cohaeſio elementorum ſolidarum partium excedens. Rigiditas in toto vaſorum ſyſtemate ſecretiones et excretiones minuens ac impediens, efficit, vt acrimoniae in corpore maneant, quae expelli debuiſſent. Porro canales ſe contrahunt, anguſtioresque fiunt; ſanguis in cauis ſuis haerere cogitur, vnde polypi, infarctusque vaſorum originem ſuam ſumunt. Nimia ſingularium partium rigiditas, canalibus, ſanguinem aduenientem in ſe transmittendi recipiendique facultatem adimet; ſanguis igitur accumulabitur et haerebit. Iam ſiue acrimonia quaedam acceſſerit, ſiue ſanguinem cor huc impellere non deſinit, vaſa, flecti iam neſcia, aut dilacerabuntur aut erodentur.

III. Vis vitalis totius corporis excedens, efficit, vt et e leuibus ſtimulis, impetuoſae cordis arteriarumque motiones oriantur, quae naturalem vaſorum reſiſtentiam ſuperant, itaque canalibus fluida expellunt. Si vero in ſingularibus corporis partibus obtinet, aut in ipſa parte haemorrhagiae praediſpoſitionem cauſſa-

caussabit, (etenim aucto oscillatorio vasorum motu, arteriae plus sanguinis adducunt, quam venae recipere possunt: hinc congestiones oriuntur) aut vi consensus, dum ob magnum erethismum spasmi inducuntur, qui aequalem sanguinis circulationem intercipiunt et efficiunt, vt sanguis praeternaturaliter in remota loca congeratur

IV. Vis vitalis totius corporis imminuta: omnem sanguinis circulationem tardiorem reddens. Facile humores talibus in locis accumulantur, vbi vasa laxam habent texturam nimisque anfractuosa sunt. Ideo omne id diathesin ad haemorrhagiam faciet, quod vires vitales imminuit. v. g. morbi acuti praegressi vel praesentes chronici, qui corpus debilitant. — Si in singularibus partibus locum habet, vasa ibi ob languorem a fluidis obruentur, dilatabuntur, atque dilatata sanguinem profundent.

V. Plethora maxime spuria. Plethora enim vera s. absoluta per se haemorrhagias haud producet, quia cum robustis atque firmis fibris coniuncta est: quatenus vero irritabilitas aucta eam comitatur, a caussis variis, potulentis ac medicamentis spirituosis, motu corporis aestuoso imprimis tempore, vehementiori iracundia facile commoueri poterit,

ita

ita vt sanguis cum impetu in vasa subtiliora penetrans, ea dilatet immo dilaceret. Si autem hae caussae excitantes etiam euitantur, tamen in corporibus strictioribus aliter haud fieri poterit, quin venae laxioribus tunicis praeditae arteriis, per continuatam distensionem vltra modum intumescant, et sic tandem plethora vera in plethoram ad venas transeat. Et venas saltem nonnullas sanguine turgescentes, data occasione, eum eructare, quotidiana experientia extra omnem dubitationis aleam ponit.

Ex dictis facile etiam perspici poterit; qua ratione iactura membrorum maiorum; euacuationum suppressio assuetarum, praesertim sanguinis; diaeta lauta, nutriens; abusus vini generosi, spiritus vini; nimia pinguedo; continuati motus quarundam partium; certus tempestatis status, suum quodque symbolum ad haemorrhagias contribuere possit.

VI. Nimia sanguinis tenuitas et fluxilitas; vnde fit, vt tonus vasorum laxetur, ipseque sanguis sua tenuitate facile orificia vasorum permeet.

VII. Omnia irritamenta siue externa siue interna; huc pertinent: acrimoniae inquilinae, rheumatica, arthritica etc.

quae

quae vel in loco affecto ſtimulando congeſtiones faciunt, aut vaſa ipſa corrodunt; vlcera incaute conſolidata, quae partim ob ſuppreſſam euacuationem aſſuetam, partim ob acrimoniam remanentem, remotas cauſſas conſtituunt: calculi anguloſi aſperiores; hi e priſtina quiete excuſſi, fibras et canales, vti hoc in renibus, veſica vrinaria, pulmonibusque creberrime obſeruatur, vi mechanica diſſoluunt. Attamen hae acrimoniae non tantum ratione modo dicta cauſſae praediſponentes fiunt, ſed etiam vi conſenſus, quod nobis ſaburrae et vermes in primis viis probant.

VIII. Omne id, quod liberam ſanguinis circulationem intercipit, ſiue in vaſis ipſis haereat ſiue aliorſum ea male afficiat, vt animi pathemata, viſcerum obſtructiones; ſpaſmi, vaſorum infarctus, polypi, aneuriſmata, varices, tumores omnis generis, inflammatorii, purulenti, ſarcomata, ſcirrhi, vaſorum concreſcentiae, abuſus veſtimentorum anguſtiorum, ſtatus, ſeſſio peculiares.

§. IX.

Praemiſſis itaque cauſſis praediſponentibus, accedimus ad eas, quae occaſionales dicuntur, quarum quidem multas iam inter priores annotare nos oportuit, ordinis cauſſa

vero

vero hic repetendae nobis videntur: ſuntque fere ſequentes; aër frigidus, qui ſanguinem ab externis, ad internas partes pellit; aër calidus, qui fluidorum orgaſmum excitat; aër auſtrinus continuus, qui corpus laxum reddit; repentina aëris mutatio, cum repente leuior fit: deprehendimus hoc in hominibus, infirmos qui habent pulmones, in aëre montano, puriori magisque incitante, cuius nullam hactenus conſuetudinem habuerant, verſantibus; balnea calida; ſpaſmi; animi affectus imprimis pathetici; motus febriles; molimina critica; cibi nimis nutrientes et calefacientes; magna ciborum impletio; voracitas, qua ventriculus et inteſtina onerantur, multaque vaſa premuntur, circulatio ſanguinis inſuper per internas partes turbatur; ſordes primarum viarum; potus ſtimulantes et calefacientes; medicamenta acria praeſertim talia, quibus vis ſpecifica ineſt ſanguinem pellendi e. g. cantharides, quae tam externe quam interne copioſe adhibitae, mictum cruentum proferunt; aloëtica, quae in vaſa inteſtini recti vim ſuam exercent, vt helleborata in vaſa vterina; — acrimoniae inquilinae, ſcorbutica, ſcrofuloſa, arthritica retropulſa et retrogreſſa, venerea, quae praeſertim pulmones affligit et haemoptyſin facit; exanthemata retrogreſſa; euacuationes non modo ſanguineae, ſed et alia profluuia ſeroſa, ad quae corpus conſueuit, fluor albus, retropulſum puer-

puerperarum lac; — omnia denique externae violentiae genera, adeo multiplicia, quae tamen ipſa ſine prophaſi vehementiores haemorrhagias excitare poſſunt.

Denique, ſi cuius partis vaſa magnam compreſſionem diu ſuſtinuerunt et ſubito liberantur, haud infrequens haemorrhagiae occaſio naſcitur eoque periculoſioris, quo magis vaſorum propria virtus diutina mole periit. Inde haemorrhagiarum origo poſt magnas ſubitaneasque humoris purulenti vel aquoſi euacuationes nec non metrorhagiae poſt foetum celeriter excluſum vtero inerte contractionem debitam morante, haud incommode explicatur.

SECTIO TERTIA.

DE SYMPTOMATIBVS CAVSSARVM IN SANGVINIS PROFLVVIIS.

§. X.

Medicus haemorrhagiam perſanaturus, quum et remotas cauſſas amouere et proximam tollere debeat: ea ſymptomata accurate expiſcetur neceſſe eſt, quae quoniam a diſtinctis cauſſis proficiſcuntur, hiſce declarandis

randis egregie inferuiunt ideoque ſymptomata cauſſae pathologis audiunt.

§. XI.

Cauſſas occaſionales expiſcatur, partim propria accurata obſeruatione, partim confabulatione cum aegroto eiusque neceſſariis. Simili ratione notitiam cauſſarum praediſponentium ſibi comparabit. Nonnullas harum peritus medicus, e conſpectu aegroti animaduertet: ſic thorax anguſtus, corpus gracile, gratioſum iunceumque, ſcapulae eminentes, collum longum, genarum rubor, infirmitatem pulmonum congeſtionemque ſanguinis illos verſus ſatis arguunt; ſic ſingularis quidam, perturbatus anxiusque vultus aegroto familiaris, oppilationes et infarctus ſanguinis in abdomine prodit. Ne longus euadam, mitto exactiorem ſignorum cauſſarum remotarum deſcriptionem, e ſemioticae *) ſcriptoribus facile hauriendam; contentus dignitatem huius perſcrutationis breuiter indicaſſe.

§. XII.

Quamuis notio cauſſae proximae in curando non tanti momenti ſemper ſit, quam remotarum cauſſarum accurata cognitio: tamen a re noſtra vel ad certiorem praedictionem

*) Frid. Avg. Weber de cauſſ. et ſign. morbor. Libr. duo. T. I. c. XV. p. 100.

dictionem formandam non alienum erit, illius ſigna paucis hic commemorari. — Anaſtomoſin indicant, plethora, modica effuſi ſanguinis copia — exceptis eius euacuationibus ex iis viſceribus, quae magnam ſuperficiem habent, multitudine vaſorum inſignem: vt ventriculus, vterus — porro temperamentum ſanguineum, abſentia doloris in ſede affecta; ſi excipias tamen dolorem a ſpaſmo — abſentia acrimoniae alicuius, aut violentiae externae et internae. Veriſimile quoque, eas ſanguinis profuſiones, quae ex aliis haemorrhagiis aſſuetis ſuppreſſisque originem trahunt, per anaſtomoſin oriri; ſiquidem in viſceribus ipſis nobilioribus e. g. pulmonibus, diu ſine noxa locum habent. Sanguinis effuſionem per diapedeſin fieri, colligitur ex aquoſa ſanguinis qualitate, exiguitate, tenuitate, diſſolutione atque ex doloris abſentia. Eroſio vaſorum cognoſcitur ex propria manifeſtaque quadam acrimonia, vt purulenta, herpetica, cancroſa etc. Dilaceratio vaſorum aderit, ſi ab externa aut interna vi ita laeſa ſunt, vt ſtatim ſanguinis profuſio ſequatur.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

DE PROGNOSI IN SANGVINIS PROFLVVIIS.

§. XIII.

Varia haemorrhagiarum, pro ſanguinis qualitate et quantitate, pro celeri et lenta eius iactura, pro temporis, aetatis, ſexus, temperamenti ratione, pro loco aſſecto, pro cauſſarum remotarum atque proximarum natura, pro ſymptomatum iunctorum diuerſitate, eſt prognoſis.

§. XIV.

Quod ad ſanguinis qualitatem attinet, omnis cardo vertitur in iuſta eius conſiſtentia, mixtura, colore atque calore. Nimia ſanguinis tenuitas generaliter mali erit ominis, quatenus ſolidorum torporem ſaepe indicat: at ſi febris aderit, nimium calorem atque procliuitatem ad putredinem. Sanguis niger et denſus magnum robur declarat; tamen magis conſtitutionis corporis aegroti ſolidarumque partium, inprimis autem virium vitalium, quibus illae pollent, et aliorum ſymptomatum praeſentium, quam ſen-

 ſibilium

ſibilium qualitatum ſanguinis ratio habenda erit. *) Qualitas ſanguinis nonnunquam nobis morbi ſedem, ſecundum quam varius euentus diiudicari poteſt, oſtendit; ſi in haemoptyſi e. g. nimis rarus et fluidus reiicitur ſanguis, concludi poteſt, ex trachea eum prouenire; ſi vero ex arteriis pulmonalibus interiorique pulmonis compage profluit, laete rubro erit colore atque ſpumoſus; ſi denique venit ex arteriis bronchialibus, neque tam ſpumoſus, nec tam laete rubens nec tanta copia fluet, at muco plerumque commixtus — Quod ad quantitatem ſanguinis ſpectat, quis eſt quem fugiat, nimis largam ſanguinis eruptionem, qui fons omnium noſtrarum ſolidarum fluidarumque partium eſt, peſſimos conſequi euentus: vt ſunt ſopor, rigor, conuulſiones, animi deliquia. Sanguinis eruptiones nimis parcae pari modo haud boni euentus ſemper ſunt. — „Pauca „ſanguinis excretio die indice in acutis „rariſſime bona, plerumque peſſima, niſi „vrina cocta die critico copioſam prae-„nuntiet.“

Stillicidia ſanguinis, niſi ſint ſigna prodroma, deſignant imperfectas criſes ac virium inopiam, inſanabiles infarctus, apoplexiam.

§. XV.

---

*) Nempe noſtrum omnino facimus iudicium, quod de harum notarum fallacitate ſumma illuſtris GRVNERVS tulit. Semiotic. phyſ. et pathol. §. 747. p. 522.

§. XV.

Haemorrhagia breuiſſimo tempore profuſior vehementiorque animi deliquium et mortem ſubitam ſaepe affert, praecipue ſi magna vaſorum ruptura in cauſſa eſt — Si profuſio ſanguinis non adeo impetuoſa diutius perſiſtit, aut ſaepius reuertitur: ſolida viribus, fluida vero iuſta cohaeſione et temperie priuantur, nutritio impeditur atque omne genus cachexiae, febris lenta neruoſa, hectica etc. oriuntur, diſpoſitio humorum ad diſſolutionem augetur, relatio lymphae coagulabilis ad ſerum imminuitur dirusque tandem enaſcitur hydrops.

§. XVI.

Prae aliis infantes, et temperamentum phlegmaticum — minus foeminae, quam viri, ab ſanguinis iactura offenduntur. Praecipue in grauidis, profluuia ſanguinis quaecunque ſaepius repetita aut diu perſiſtentia foetum perdunt et hecticam, tabem atque hydropem poſt ſe trahunt — Haemorrhagiae quo magis ſtatas periodos ſeruant; eo certius moderate ſeſe gerunt.

§. XVII.

Omnes haemorrhagiae periculoſae atque ſuſpicioſae, quae e locis proueniunt, vbi momentoſae functiones intercipiuntur, neque ſanguis liberum habet exitum. Hinc in pulmonibus, renibus etc. facile thrombi ſanguinis remanent, qui relicti acrimoniam induunt, et initium phthiſeos fiunt. —

„Haemor-

„Haemorrhagia narium ſaepe ex nare oritur, „quae viſceri laeſo reſpondet. Quae exparte „aduerſa et praepoſtere fiunt ſanguinis „eruptiones, malae ſunt, velut in lienis „tumore, ſi ex nare dextra effluat. Quod „et circa praecordia eodem modo ſe habere „expectandum eſt. Maius autem malum „denuntiatur, ſi cum tenui circa frontem „et thoracem ſudore iſtud contingat." — vid. HIPP. Praed. Lib. I. Sect. II. §. 125.

§. XVIII.

Cauſſarum remotarum ratione, peſſimae erunt haemorrhagiae a talibus cauſſis orientes, quae vix aut nullo modo remoueri poſſunt: quales ſunt acrimoniae erodentes, ſcirrhi, tumores etc. — Quod ad proximas cauſſas ſpectat, haemorrhagiae facile curantur, quae per anaſtomoſin fiunt atque ab abſoluta aut reſpectiua plethora pendent: ſi vero per anaſtomoſin ſanguis ſeroſus effluit, medio modo ſe habet haemorrhagia. Quod ad vaſa laeſa attinet, hic adhuc annotandum eſt, difficiliores eſſe haemorrhagias, quae fiunt e laeſis arteriis, quam venis: item quae a maioribus, quam a minoribus ruptis, contingunt. Diaereſis inſignis et diabroſis, periculoſiſſimae et curatu difficiles ſunt, niſi medicamenta immediate applicari poſſunt.

§. XIX.

Pro ſymptomatum diuerſitate — Non ſemper bono haemorrhagia caret euentu; ſed,

fed, vt in febribus inflammatoriis faepe fanguis ex naribus, vel ano, vel vtero prorumpens, tum principio faepe illas mox iugulat, tum earundem, fub iudicio, faepe crifin falutarem conftituit — Alio tempore haemorrhagiae fymptomatibus periculofiffimis annumerantur: veluti functionibus corporis nobilioribus impeditis, vix tactu percipiendo aut diu intermittente pulfu, eoque debili ac inaequali cum anxia refpiratione, dolore vehemente in loco affecto, magna debilitate, tenui atque frigido fudore, ftupiditate, fingultu, horrore frigido, rigore, fopore, convulfionibus etc. —

SECTIO QVINTA.

DE MEDENDI HAEMORRHAGIIS METHODO.

§. XX.

Alia in paroxifmo, alia extra paroxifmum eft cura — Inprimis diftinguendum eft: num fit haemorrhagia actiua, quae ex iufta virium energia, calore naturali, fatisque pleno pulfu cognofcitur; vel paffiua, vbi vires imminutae, pulfus debilis et interdum intermittens, extremitates frigidae, facies pallida, lipothymia, fyncope — In priori — fub qua haemorrhagiae criticae atque prophylacticae

phylacticae comprehenduntur — naturae molimen non turbandum eſt; id modo obſeruandum, ne vires nimis labantur — In poſteriori — ad quam ſymptomaticae, ſympathicae et deuteropathicae plerumque referri poſſunt — maxima cura ſanguinis eruptio cohiberi debet.

§. XXI.

In paroxyſmo, ſi quid ab haemorrhagia timendum erit, prae omnibus aliis diaeta tenuis et regimen accommodatum adornanda ſunt eaque omnia euitanda, quae motum ſanguinis, tam in toto corpore, quam in loco affecto augere poſſunt. Hinc aeger habendus eſt loco frigidiuſculo, quem aër purior frigidiorue aura molliter permeet, ſecreto ab omni tumultu luceque ſplendidiori. Porro aegrotus a nimis anguſtis veſtimentis et vinculis, vt ſunt collaria, genualia, liberetur. Summa animi corporisque quies ei imperanda eſt atque talem ſitum aeger obſeruare iubeatur, qui ſanguinis affluxum partes affectas verſus minime augeat, aut refluxum per venas impediat; cibi oportet, vt ſint eupepti et frigidiuſculi, potus egelidi, aut in ſpaſmis tepidi; in calore et ſiti ſubacidi eſſe poſſunt.

§. XXII.

Indicatio curatoria in acceſſione eſt, affluxum ſanguinis a loco haemorrhagiae reuellere et deriuare; hoc fieri poteſt ſanguinis

nis detractione, ſi plethora adeſt, vel maior ſaltem ſanguinis commotio, pulſusque plus minus durus et magnus cum calore aucto obſeruantur. Venae ſectionem vero interdicent pulſus paruus, debilitas — excepta nonnunquam haemoptyſi — porro magna ſanguinis iactura praegreſſa, plethora ſpuria in frigidis, ebullitio ſanguinis non ita vehemens atque ex bile commota. Haec venae ſectio fit, aut reuulſorie, parti ex qua fluit ſanguis, tam prope vt fieri poteſt, aut derivatorie in locis remotioribus. In acceſſione venae ſectio reuulſoria inſtituitur; tamen raro in primo morbi impetu recte ſanguis mittitur, quoniam ſemper fere ſpaſmus adeſt; nec tunc pulſus venae ſectionem ſuadere ſolet, nec indicare, quantum ſanguinis mittendum ſit. Profecto! haud inepta eſt C. CELSI obſeruatio: ſanguinem in paroxiſmo mittere, hominem iugulare eſt; ſed ſpaſmo remiſſiori, ſub modo laudatis conditionibus ſanguis detrahendus erit. Porro reſpectu viſcerum in venae ſectione hoc diſcrimen obſeruatur, vt, quo magis haemorrhagia viſceri vitali periculum minetur, eo magis aliquid audendum ſit; vt in haemoptyſi — Poſt acceſſionem venae ſectio deriuatoria conſultius inſtituitur, qua ſaepe, ſi paulo ante nouum timendum paroxiſmum fit, hic feliciter auertitur — Ad eosdem fines etiam hirudines atque cucurbitulae ſcarificatae adhiberi poſſunt.

§. XXIII.

§. XXIII.

Porro ad ſanguinem deriuandum, manuum lotiones et pediluuia, tamen tepida, ne nimio calore ſanguinis motus augeatur, adhibentur.

§. XXIV.

Huc referri poteſt, ſi haemorrhagiarum ſedes, vbi forſan aliqui arteriarum adducentium rami maiores ſiti ſunt, externis refrigerantibus curantur, quae, vt magnum ſanguinis turgorem et impetum in locum affectum, ita etiam horum vaſorum diametrum minuunt et vim cordis in locum haemorrhagiae debilitant. Ideo fomentis frigidis, refrigerantibusue loca haemorrhagiarum circumdantur. Tamen hic pars attendenda erit, dum aliquae frigus haud bene patiuntur, v. c. pectus; ita etiam cauſſae in conſiderationem veniunt, dum ſi ſpaſmi aut obſtructiones adſunt, hae neceſſe eſt augeantur.

§. XXV.

Aluus in omni haemorrhagia libera ſeruanda eſt et aperta, ob multas nunc non enarrandas rationes; interdum autem ea etiam, ſi nimia ex ſuperioribus partibus haemorrhagia, tum purgantibus, ſale mirabili Glauberi, ſale communi, decocto cremoris tartari ſaturato, tum enematibus ſtimulantibus, ac ſi ſpaſmus adeſt, clyſteribus emollientibus, antiſpaſmodicis, reuulſionis cauſſa euacuatur.

§. XVI.

§. XXVI.

Reuellendo a loco affecto ſanguini inſeruiunt quoque cucurbitulae incruentae; eundem in finem ligaturae cruribus et brachiis iniiciuntur. In haemorrhagiis modicis, ſi ligaturae non nimis partes ſtringunt alicui vſui ſunt: dum celer ſanguinis reditus per venas verſus cor impeditur. Quoties vero plures ligaturae iniectae fuerunt, ſublata ſanguinis eruptione, ſucceſſiue vna poſt alteram ſoluendae ſunt. In vehementioribus autem ſanguinis profluuiis atque a grauioribus cauſſis natis vix aliquod auxilium ab eis exſpectare licebit.

§. XXVII.

Exulcerationes artificiales, quales efficiunt veſicatoria temperata, fonticuli, ſinapiſmi, deriuando, acre euacuando, ſpaſmum laxando, ſuppurationem arcendo, nimis citam ſanguinis reparationem cauendo, longe maximas vtilitates praeſtant — Venae ſectionem, ſi neceſſaria fuerit, veſicatorio praemitti debere, notum eſt.

§. XXVIII.

In curatione haemorrhagiarum etiam conſenſu partium vtimur — Sic in haemorrhagia narium fomenta frigida partibus genitalibus vel abdomini applicantur; in haemorrhagia vteri, cucurbitulae ſine ſcarificatione mammis imponuntur. HIPPOCRATES.

§. XXIX.

Si internis medicamentis motuum orgaſticorum componendorum cauſſa opus eſt: temperantia

perantia actu frigida, antiorgaſtica propinantur; quo pertinent omnia ſalia media, ſal mirabilis GLAVBERI, tartarus tartariſatus, tartarus vitriolatus, nitrum, cuius minora praebia repetitis vicibus in haemorrhagiis actiuis non ſine aliqua vtilitate adhibentur; ſed in paſſiua nocet, quia nimis debilitat. Aptiſſime nitrum in infuſo aut florum chamomillae aut florum et ſummitatum millefolii ſolutum hauriri poterit. Si inflammationis ſuſpicio accedit, nitro pauxillum camphorae, vel opii, vel ipecacuanhae addi poterit. — Porro a nonnullis ſal communis, in aqua ſolutus laudatur.

In haemorrhagiis paſſiuis autem maiore virtute pollent, ſal tartari citratus, acida mineralia parum dulcificata, vitriolum martis facticium, elixirium acidum HALLERI ad gratum ſaporem aquae inſtillandum etc. —

§. XXX.

Medicamenta adſtringentia ſ. ſtyptica, ad quae vix alias niſi in extremo ancipitique caſu confugiendum eſt, indicantur, mitioribus prius tentatis, plethora ſublata, et ſummo imminente periculo, ex pulſu vacillante, venis collapſis, lipothymia, frigore diiudicando. Eo cautior eorum vſus eſſe debet, critica et periodica ſi haemorrhagia eſt, vel ſi pulmones ventriculusue haemorrhagiam patiuntur. Externe ſi locus patet, vt in haemorrhagia narium, naribus iniicienda turunda mollis ex linteolo conuoluto facta, cum vitriolo albo aqua ſoluto, aut quod efficacius,

extracto

extracto ſaturni GOVLARDI imbuta. Interne, ex ſtypticis in auxilium vocari poſſunt, acidum vitrioli, imprimis ſolutio aluminis vitriolata MVELLERI, vitriolum martis factitium, alumen, gummi Kino, terra Catechu, lignum Campechenſe, fungus Melitenſis etc.

§. XXXI.

Praeſente ſpaſmo ipecacuanhae conuenientes minimaeque doſes propinantur. Spaſmo incitanti et dolorifico ex permanente dolore in loco affecto, anxietate, pulſu duriuſculo et deficientibus inflammationis ſignis cognoſcendo, extractum opii aquoſum ſaepe in momento auxilium fert: ſimul clyſteres emollientes, antiſpaſtici ſimiliaque linimenta abdomini cum opio Thebaico adminiſtrantur.

§. XXXII.

In diuiſione haemorrhagiarum etiam hanc earum differentiam commemorauimus, eas nempe aut cum febri aut ſine ea eſſe — In cura earum, quas febris comitatur, praeſertim relatio febris ad haemorrhagiam reſpicienda erit — Interdum haemorrhagia eſt morbus protopathicus, ad quam febris tanquam ſymptoma accedit: aliis in caſibus febris vel continua continens, vel remittens, vel intermittens eſt morbus protopathicus, cui haemorrhagia ſymptomatica ſuperuenit. Symptomatica febris ab ipſo ſanguinis profluvio oritur, ſi haemorrhagia actiua praemature ſuppreſſa eſt; atque tunc motus febriles

non

non desinunt; priusquam aut eadem haemorrhagia a natura restituta, aut alia sanguinis depletio facta sit. Porro motus febriles apparent post haemorrhagiam nimiam, propter debilitatem et irritabilitatem vitiosam, abnormen, a sanguinis iactura natam. Vt in haemorrhagia protopathica ad sanguinis eruptionem attendendum est: sic in haemorrhagia symptomatica ad febrem respicere et secundum huius naturam atque indolem, sanguinis profluuio medicum mederi oportet; v. c. in febri putrida tum cortice tum alumine externe atque interne adhibendis, acido minerali frigidae commixto, fomentatione ex niue aut glacie contusa — interdum vero tum vino tum opio febris cum haemorrhagia coercenda est —

Praeter acutas etiam chronicae haemorrhagiae dantur, quarum caussae praecipuae sunt vel obstructiones, vel atonia cum dispositione ad spasmos coniuncta.

§. XXXIII.

Restat adhuc cura post accessionem, vbi praeprimis medicus omnem operam nauare debet, vt caussas speciales tollat sine quarum remotione nulla radicalis cura locum habet— Cum autem copia caussarum tam numerosa sit, aliquas modo recensuisse sufficiat!

Si totum corpus debile est, nutrientibus et roborantibus primo lenioribus posthaec potioribus firmandum est.

Diſſolutio humorum requirit acida, inprimis mineralia, inuiſcantia et glutinoſa, denique roborantia.

Si ſpaſmis haemorrhagia originem ſuam debet, in medela eorum attendendum erit, an ſunt paſſiui, nempe ab actione virium vitalium in partes motrices debilitata; an actiui, ab actione virium vitalium in illas partes aucta proficiſcentes; hi narcoticis et antiſpaſticis, illi neruinis, roborantibus et incitantibus tolluntur.

Suppreſſa alia profluuia haemorrhagiam proferentia, apto et efficaci auxilio interno et externo reſtituenda ſunt.

Obſtructiones, haemorrhagias chronicas ſaepe producentes, ſecundum ſuas cauſſas, reſpectu continentium et contentorum reſerantur.

Acrimonia haemorrhagiam fouens ex accommodatis emunctoriis medicamentis internis et externis vlceribus artificialibus educi, aut ſi remedia nota ſunt, iis corrigi; ſi autem hoc fieri nequit, inuoluentibns aliisque remediis, malis pertimeſcendis, oppoſitis, leniri, immo ſi fieri poteſt, corpori innocua reddi debet.

Sordes irritantes in primis viis contentae, ſoluentibus mobiles reddendae et ſolutae purgantibus, ac ſi opportunitas adeſt, emeticis e corpore proſcribendae erunt.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Neque hanc curam praetermittat medicus, vt poſt remiſſionem haemorrhagiae e viſceribus nobilioribus nunquam non accurate inueſtiget, num thrombi ſanguinis remanſerint; qui, ſi eius rei iuſta ſuſpicio eſt, medicamentis indicatis leniſſimo modo educendi ſunt.

§. XXXV.

Ad morbi recidiuas euitandas, opus erit, vt accommodata diaeta quoad cauſſas varia praeſcribatur: tamen in genere, ſi virium nimia actuoſitas remanet, regimen antiphlogiſticum indicatum erit vſusque vegetabilium, pomorum, fructuum aeſtiuorum, ſeri lactis; ſimulque pro rei neceſſitate iteratae venae ſectiones inſtituendae ſunt; porro euitatio diligens omnium animi pathematum et eſculentorum et potulentorum calefacientium ſuadenda eſt — Si vero virium imbecillitas culpanda venit, diaeta blande nutriens obſeruari debet et per longum tempus medicamenta roborantia, cortex Peruuianus, et martialia adhibenda ſunt; iis omnibus in victu, regimine et moribus curioſe circumciſis, quae corpori debilitatem inferre poſſunt.